

05

A

721



S

H



I N  
SYSTEMATIS THEOLOGICI PARTEM  
Primam Generalem,  
DE RELIGIONIS VERÆ OPPOSITIS  
*DISPUTATIO VI.*

*De*  
PUCCIANISMO,  
MACHIAVELLISMO &  
SAMARITANISMO,

*Quam*  
Auspice & astitite J E H O V A H  
PRÆSIDE  
BALTHASARE MEISNERO  
S. S. Th. D. & Profefs. publ.

*Placidâ συζητήσεσιν ventilandam  
proponit*

M. PAULUS GILBERTUS,  
Alumn. Elect.

*Ad diem 5. Octob. horis pomeridianis,*  
In Auditorio minori.

WITTEBERGÆ,  
*Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI,*  
ANNO M DC XXV.

SYSTEMATIS THEOLOGICI PARTEM

PRIMUM GENERALEM

DE RELIGIONIS VARIIS FORMIS

DE SYMBOLICO VARIIS

DE SACRAMENTIS

DE ECCLESIA

DE MINISTERIO

DE SACRAMENTIS



BAUERHANSAR \* BUCHHANDLUNG

2. S. T. H. D. & P. P. S. P. P. publ.

127 A 721

ALPHABETIS GIBBERTIS

Alphab. Gibbert.

Alphab. Gibbert. P. P. P. P. P. P. P. P. P.

In A. h. h. h. h. h. h. h. h. h. h. h. h.

WITTEBERG

JOHANNES GUMPERT

M. D. C. C. C. C.

be  
pa  
be  
T  
A  
ve  
be  
&  
v.  
vi  
pr  
cl  
cu  
m  
2.  
re  
O  
ef



DEO OPT. MAX.  
AVENTE, FAVENTE, AGENTE,  
DISPUTATIONIS VI.

*Prooemium.*



Duplex datur Religio: Vera & falsa: Illa Christianorum, hæc Impiorum; Illa lux, hæc tenebræ; illa lauta, hæc polluta; illa utilis, hæc inutilis; Illa angusta, hæc ampla; illa divinitus data, hæc inventa; Illa oleo tranquillior, hæc scarabeo nigrior; illa commodat, hæc furibatissat; Illa beat, hæc damnat. *Illam* Theologus Christianus docere, palam proferre, defendere; sed quid hanc optimè observare debet. Hanc observare debet 1. *Diligenter vigilando*; hinc enim Theologi vigiles Ezech. 3. v. 17. nominantur, ut semper vigilant Act. 20. v. 28. Ne malè curando hostis aut dormiendo inimicus veniat & superseminet Zizania. Matth. 13. v. 25. 2. Observare debet *acriter intuendo*. Sic Paulus conspexit superstitiosos Act. 17. v. 23. & homines excidentes à simplicitate quæ est in Christo 2. Cor. 11. v. 2. Conspevit errores Petri, Barnabæ & aliorum illosq; refutavit ad Gal. 2. v. 11. Conspevit eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam ille promulgavit, fecerunt & ab illis declinare jussit. Rom. 16. v. 17. Conspevit homines in astutiâ ad circumventionem erroris sistentes. Eph. 4. v. 14. Conspevit canes, malos operarios Phil. 3. v. 2. Conspevit eos qui resistunt veritati. 2. Timoth. 2. v. 25. Conspevit inobedientes, vaniloquos & seductores ad Tit. 1. v. 10. Et h. e. quod visores nominentur, 1. Sam. 9. v. 9. Observare debet 3. *accuratè notando*. Nam falsa religio non una est, sed multiplex, utpote Ebionismus, Cerinthismus, Marcionismus,

mosatenismus, Arianismus, Meffalianismus, Apollinarismus, Pelagianismus, Anthropomorphitanismus, Macedonianismus, Eutychianismus, Monothelismus, Sabellianismus, Berngarismus, Syrianismus, Calvinismus, Schwencfeldanismus, Anabaptismus, Donatismus, Flacianismus, Manichæismus, Papismus, &c. Hos errores summo studio Theologus annotare debet, ut Petrus Machiavellismum 2. Pet. 1. & Epicureismum 2. Pet. 3. & Paulus Papismum 2. Theff. 2. Observare debet 4. *solerter vitando.* Theologus non sit parvulus fluctuans, qui circumfertur omni vento doctrinæ Ephes. 4. ver. 14. sed exeat de medio eorum 2. Corinth. 6. v. 17. qui veram doctrinam non afferunt 2. Joh. 10. ver. nec recipiat illos vel Ave illis dicat 2. Johan. v. 10. multo minus communicet instructuosis operibus Ephes. 5. v. 11. nam quæ participatio justitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fidei cum infidei 2. Cor. 6. ver. 14. Observare debet 5. *fortiter refutando.* Quippe cui convenit publicè falsam doctrinam refutare & e contra veritatem monstrare, ut eò melius Auditores admoneantur; ut sic Deus expressè Jeremiam alloquitur, Jer. 15. v. 19. Tandem observare debet Theologus hanc *duriter corrigendo.* Theologus potens sit exhortari iu doctrinâ sanâ, & eos qui contradicunt, arguere, sunt enim multi inobedientes vaniloqui & seductores, qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet ad Tit. 1. v. 12. ibi Theologus non timeat, non taceat sed loquatur Actor. 18. v. 9. & corrigat, uti Elias correxit Prophetam Baalim. 1. Reg. 18. Micha falsos Prophetas 1. Reg. 22. v. 21. Jeremias itidem Jerem. 27. v. 9. Petrus veneficum Simonem Act. 9. v. 20. Paulus Elimam Act. 13. v. 10. Johannes Phariseos Matth. 3. v. 7. Hæc cum ita sint, & jam versetur circa requisita Theologica generalia nobis non sufficit religionis veræ ac sinceræ naturam, appellationes, affectiones, Effectus, Notas, sed & religionis, veræ opposita cognoscere & perpendere. Hoc itaque in hac disputatione præsumemus, & quidem in specie de *Puccianismo, Machiavellismo & Samaritanismo* agemus. Quia verò sine cortice

corde non natabitur, Deum Opt. Max. ut nobis clementer ad-  
sit, rogamus AMEN.

## THEOREMA I.

*Versantes circa generalia Theologiae opposita, proximum est, ut de Puccianismo, Machiavellismo & Samaritanismo agamus.*

Observamus & imitamur ordinem nostrum, ubi incipimus primò opposita sumere illa à nimia securitate provenientia, ut est Puccianismus ubi nulla certa religio eligitur; & quidem non immerito, nam securitas primo Satanæ aditum patefacit, Matth 12. v. 44. Securitas Deum omninò postponit: Securitas homines facit, ut non sit respectus morti eorum & firmamentum in plaga eorum. Psalm 37. v. 4. Securitas non admittit ut homines Deum, quo illos ducat, viam rectam monstret, orent, ideoq; etiam merito illum errorem à securitate orientem primo loco ponimus.

Secundò ponimus Machiavellismum, qui simulare docet, & rectà securitatem sequitur. Sicut enim quando homo simulare debet, necesse est ut antea securus sit, quò sibi præparet ad suscipiendam simulationem & tunc vitia grandissima simulatione virtutum proferre, abscondere & arte palliare conetur, nulli parti inservit, sed modò huic, modò alteri assentitur. Ita & Machiavellismus consequitur Puccianismum.

Tertio loco Samaritanismum ponimus tanquam mixtam, quandam religionem, illa namq; quandoque Deum agnoscit & celebrat, modo illum relinquit, postponit, & ita aliquo modo initium habet Religionis veræ, & à multis aberrat. Sed ad

## THEOREMA II.

*Puccianismus, à Puccio nomen habet.*

Ut Calvinianismus à Calvino, Papismus, à Papa, Flacianismus à Flacio, Manichæismus à Manichæo, Weigelianismus à Weigelio, ita Puccianismus à Puccio nomen habet.

A 3

Et

Et id quidem 1. *ratione inventionis*, quia Puccius illam Religionem falsam ac Diabolicam, quâ docet quemvis in sua religione salvari ex pura ignorantia, ambitionis livore, instinctu Diaboli invenit, inventam protulit prolatâ aliquoties repetiit, ut Mahometus, Tatianus Apollinaris Aetius, Calvin. Papa. 2. *Ratione defensionis*. Puccius namq; non solum Puccianismum invenire, verum etiam pro more hæreticorum securè defendere conatus est. Nihil enim novi quod omnes hæretici quique ipsi etiam sint, sua conantur proferre principia quasi fundamentalia ad defendendam suam opinionem, dicta malè allegando, quorum pater Diabolus ipse hoc callidè exercuit Matth. 4. ver. 3. 6. 8. adversus Christum Jesum; vel è Philosophia terminos semper confundendo & ad suum sensum dirigendo, ut hodiè à Calvinistis fieri experimur. Quæ omnia Puccius solerter observavit & sua fundamenta (male) apposuit ut de his in Theor. 5. pluribus agemus. 3. *Ratione divulgationis*. Puccius enim pedibus manibusq; eò fuit ut efferret suum errorem in vulgum: Hic quippè finis hæreticorum est. *Matthæus Radeke* olim Syndicus Dantiscanus proxeneta singularis fuit, ut Photinianorum & Arrianorum furorem provulgaret. *Nicolaus Crell* hisce regionibus omnes Calvinistas habere olim voluit. *Tandemus* qui vixit circa annum 1124 errorem suum ita sparsit ut viros 3000 armatos ad patrocinandum ipsi adeptus, & ita habitus fuerit, ut aquam pedibus suis immersam ebiberint & ut sanctum habuerint. Sic sequuntur spiritum suum & prophetant in corde suo. Ezech. 3. v. 2. non dant cogitationes suas ut vertantur ad Deum suum, quia spiritum fornicationum in medio eorum & Dominum non cognoverunt. Os. 5. v. 4. & ut homines corrupti & veritate privati 1. Tim. 6. v. 8. perversa loquuntur Act. 20. v. 30.

### THEOREMA III.

*Puccianismus est opinio de quibusvis hominibus in suâ Religione salvandis, orta ex ignorantia & ambitione, in hominum perniciem, Dei contemptionem, & Diaboli honorem vergens.*

Cognito hujus erroris Autore, ad ipsum Puccianismum defini-



dennendum gradumur. Genus vero hic ponitur opinio. Scitur enim quod omne definitum ejusdem prædicamenti, genus habere debeat. Puccianismus verò non est substantia sed accidens & quidem non Quantitas, Relatio, Actio, Passio aut aliud quoddam è posterioribus istis prædicamentis, sed est *qualitas* quod facile etiam conceditur, quia est *notitia quedam*, secundum quam homo dicitur qualis, ubi statim tertia & quarta species qualitatis ab ea offeruntur, ut & secunda, ubi potentia naturales representari solent, cum nemo à naturâ sit Puccianus, imò nec ulla notitia *Quod* insit: E. remanet prima species qualitatis nempe *habitus genus Puccianismi*. Ille est *vel corporis vel animi*, non ille sed hic competit illi, qui *vel voluntarius vel intellectualis*; isti sunt virtutes morales; hic est *vel Perfectus vel Imperfectus*. Perfectus habitus Puccianismus esse nequit, quia non veram ac Perfectam continet religionem. E. Imperfectus erit, & opinio.

*Materiale seu res-considerata Puccianismi sunt homines salvandi* quod etiam competit veræ religioni, nec in eo distinguitur ab illâ sed tantummodo quoad modum considerandi sive *Formale* quod est *quavis religio sive vera aut falsa*, sive extra Ecclesiam sive in Ecclesia. *Causa efficiens* hujus erroris est *vel prima vel secunda*. Primam asserimus *ignorantiam* quippe quæ omnem hæresin movet & impellit, cum homines nullum suæ religionis habent fundamentum, unde facile à rectâ viâ in peregrinam deducuntur. *Causa secunda* est *ambitio*, quia sibi plus arrogant quàm sunt, quæ ambitio & arrogantia ex ignorantia provenit, ut experientia hoc satis superq; testatur. *Finis* est *vel rei facta vel actionis*. *Rei facta finis* Puccianorum pernicies. *Actionis vero Dei contemptio & Diaboli honor* est. Ex his itaq; vera tandem Puccianismi definitio elucescit.

#### THEOREMA IV.

*Puccianismus potissimum duobus argumentis refutari potest.*

Ut itaque Puccianismus falsus demonstretur & totus rejiciatur, in quo quemvis in sua religione salvari & ita plures Religiones statuere docetur, duobus tantummodo argumentis brevissimis

mis, ut laconismo gaudeamus, illum refutare placet. Et quidem primò à mensurâ religionis argumentamur hoc modo:

Cujus rei mensura una perpetua & immutabilis est, illa res quoque unica & immutabilis est.

Atqui religionis mensura unica & immutabilis est.

E. ipsa religio una & immutabilis est.

*Major* est verissima. Quis enim negabit, omne quodcunque est illud ita esse secundum suam mensuram. Si quæris quare homo sit homo, id secundum suam mensuram esse, quæ est intellectus divinus, scias: Si enim aliter esset mensura, aliter quoq; res esset.

*Minor* constat, quia sicut una est *Dei essentia*, sic & una tantum *Dei est sententia*, ut rectè sentit Clar. atq; Excell. Dn. D. Præses ac Præceptor noster honorandus part. 1. Philosoph. sobr. sect. 4. pag. 989.

Secundò colligimus à veritate hoc modo:

Quot sunt veritates tot sunt religiones.

Una est veritas.

E. Una est religio.

*Major* patet, quia *Veritas & religio* convertuntur & unum ponit alterum. Minorem nemo negabit nisi Philosophiæ & Theologiæ ignarus. Verum namq; axioma tum à Philosophis, tum à Theologis statuminatur.

Ex his itaque videtur unam tantummodò esse veram religionem, quæ omnem Puccianorum errorem facile opprimit, & ita consequenter Puccianismum refutat.

Si *Una tantum est religio vera*, sequitur secundum unam istam religionem homines tantum salvari.

At una est religio. E.

*Minor* ex antecedentibus constat. *Major* quoque per se manifesta: quis enim homines secundum falsam religionem salvari affirmabit? nemo, nisi absurdorum fautor.

## THEOREMA V.

*Puccius & Pucciani pro defendendâ suâ opinione infirmis utuntur rationibus.*

Ratio

Ratio prima ut rabinumina, qua potissimum invenitur,  
hæc est. *Incredibile videtur omnes Judæos, Turcas, Calvinistas,  
Pontificios, &c. quorum plurimi Deum pie colunt, & cum proximis  
justitiam servant, in æternum perire, solum eo nomine quod vel  
omninò in Christum vel non rectè in Christum crediderint, cum  
in hoc non videantur magnopere culpandi, eo quod ab ineunte  
ætate aliter instituti non fuerint. Hinc tale formatur argumen-  
tum:*

*Quodcumque Puccio & Puccianis incredibile videtur,  
illud non est verum.*

*Judæos, Turcas, Pontificios, Calvinistas, Weigelianos,  
Manich: Schwenckfeldianos &c. in æternum perire.  
Puccianis incredibile videtur.*

*E. non est verum.*

*Quæ consequentia?*

*Major est particularis, licet Puccio hoc incredibile videatur, an  
etiam aliis hoc incredibile sit, quaritur. Et quidem nulla hic  
dubitatio, nam si non incredibile est, Deum per aliquot annorum  
millia totum mundum excepta gente Judaica orbis exigua por-  
tioncula, reliquisse sub idololatria & permisisse ruere in exitum,  
etsi inter eos tot essent præclara ingenia, tot numinum & huma-  
næ justitiæ probitatisq; serii cultores: non debet etiam incredi-  
bile videri, si Turcas & Judæos & c. modo perire dicamus. Deinde  
ex primâ ratione talis sequitur Syllogismus:*

*Quicumque ab ineunte ætate aliter instituti non sunt illi  
in æternum non pereunt.*

*Judæi, Turcæ, Pontificii, Calvinistæ, Weigeliani, Anaba-  
ptistæ &c. ab ineunte ætate aliter non instituti sunt.*

*E. in æternum non pereunt.*

*Majorem negamus, nam Judæi, Turcæ &c sunt minus excusabi-  
les hoc tempore quod non credant in Christum, quàm olim fue-  
runt Ethnici, non agnoscentes unum DEUM cæli & terræ condi-  
torem. Ratio est, quia cum totus penè mundus esset sub idolola-  
triâ, æstus communis consuetudinis abripiebat omnes, neq; pri-  
vatis hominibus offerebat se ratio magnoperè de suâ Religione  
dubitandi; neque si oborta fuisset aliqua dubitatio, suppete-  
bat facilis modus cognoscendæ veritatis. At modò postquam*

*B*

*Fides*

Fides & Religio Christi pervant orbem, & ubique terrarum  
reperiuntur Christiani, fieri non potest quin multiplex se  
offerat Judæis & Turcis de sua Religione dubitandi occasio. I-  
taque tenentur rem discutere & conferre cum Christianis, quos  
ad manum habent. quod si non faciant, sed mentem ab hujus-  
modi cogitationibus odio Religionis Christianæ, vel alia ex  
causa avertant, seipso reddunt coram Deo inexcusabiles. Tanti-  
enim momenti est negotium Religionis & salutis, ut omnibus a-  
liis rebus anteponi, & summo studio, cum justa ratio dubitandi  
ingeritur, debeat pervestigari, etiam si in remotas regiones esset  
abeundum. Hæc igitur ad primam rationem. Ratio secunda,  
qua utuntur est dictum Habac. 2. & Rom. 3. Justus sua fide vivet.  
Quemadmodum diabolus omnium hæreticorum pater dicta  
scripturæ falsò allegare, vel ad sensum suum dirigere solet, ita et-  
iam Pucciani facere conantur, dum ex hoc dicto quemlibet in  
sua fide salvari concludunt. Sed sciant quod *sua hinc nequaquam si-  
gnificet eam fidem, quam quisq; sibi fingit, sed veram fidem cuiusq; pro-  
priam & opponatur alienæ fidei.* Illa verò *vera fides est sola fides  
in Christum & quidem propria hominis fides non aliena.* Si enim  
quilibet in sua fide salvari posset ad salutem sufficeret ea fides,  
quæ non est donum divinitus infusum, sed humana persuasio  
privato judicio concepta humana autoritate subnixâ, fallaci  
fundamento substructa. Sic Turcæ, etsi credant unum Deum  
cæli terræq; conditorem, bonorum & malorum operum remu-  
neratorem, ea tamen fides non est à Spiritu Sancto, sed à judicio  
privato vel potius à Diabolo. Non enim ita credunt, quia Deus  
id per aliquem verum Prophetam hominibus proposuit, sed quia  
Mahometus quem DEI Prophetam & organum fuisse in docen-  
dis mortalibus putant in suo Alcorano ita tradidit. Pari modo  
Judæi, etsi eadem & plura credant veritati consentanea, tamen  
fides, qua illa credunt fallax est & à Spiritu DEI aliena, tota enim  
ratio credendi est, quia illorum Rabini & Synagogæ Doctores  
ita scripturas interpretantur: Hi enim sunt illis credendi regula  
(sive quod idem valet) scriptura sacra, quatenus horum inter-  
pretationi subest. Sic qui in Christum credunt sed non verè fun-  
damentum idem habent omninò fallax seu potius nullum. ut  
Ponti

pturæ præferunt, ita docent : Ex his itaq; facile apparet Puccia-  
nos stare non posse. Multa absurda adhæc ex hac sententia pro-  
fluunt. Nam si quilibet in sua religione salvari posset frustra Apo-  
stoli & sancti Patres, tantopere in fide Christi asserenda labora-  
runt, frustra tot Martyres per omnia tormentorum genera, san-  
guinem & vitam pro ea profuderunt : tantæ non essent dissensio-  
nes inter religiones, nulla daretur credendi ratio, sed potius  
quævis securitas in religione ut homo non curet, quam religio-  
nem teneat, quid credat vel non credat. Sed manum de Tabula.

## THEOREMA VI.

*Machiavellismus à Machiavello nomen habet.*

Cognito Puccianismo rectè ad Machiavellismum progre-  
dimur, & quidem ut minore sinamus promerito ad ipsum *Machi-  
avellismi nomen* transimus. Ille verò nomen habet à *Machiavello*,  
qui fuit ante 100 & supra annos à *tabulâ Florentina civitatis* Caroli  
octavi & Ludovici 12. Gallia regum temporibus (Romanam  
sedem tenentibus Alexandro VI. & Jul. II.) quo tempore *libros  
suos Italicè scripsit* & sub initia regni Francisci primi in lucem emi-  
sit, quorum primus liber est inscriptus de Principe, alter continet  
tres libros commentationū sive enarrationum in primam. T. Li-  
vij decadem, qui huic alteri de Principe libello illustrando veluti  
commentarii loco sunt, in quibus lacera & minuta quædam fra-  
gmenta ex Livio temerè decerpta subinde asperfit, neque histo-  
riam integram unde ea sumta sunt, exposuit, atque ea ipsa præ-  
posterè, ut libuit, accommodans sæpenumero ad absurda & fœ-  
da opinionum figmenta confirmanda detorsit. Et quivis in ejus  
scriptis quanta, quanta, etiam sint nihil boni aut sinceri esse quod  
ferè ipsius sit, rectè dicat, licet istius velut prudentissimi & rerum-  
publicarum peritissimi nomen celebre & in hominum ore fuit &  
libri ejus non minore in pretio habiti apud Aulicos Italos gallos  
quam vel Sybillina Oracula apud Ethnicos vel Alcoranus apud  
Turcas. *Ab hoc Machiavello Machiavellismus originaliter nomen suum  
habet*, quem modo assumemus, assumptam considerabimus, con-  
sideratam corrigemus & correctam damnabimus. Sit ergò

*Machiavellismus est cujusq; Religionis simulatio, nixa multis bypotbesibus falsis.*

Nunc ad Machiavellismi descriptionem. Describimus illum quod sit *simulatio*, quia aliud nihil quam clam nocere, quimos est simulationis Psalm. 12. v. 3, & *meravitia clausa, simulatione virtutum abscondere & arte palliare* secundum Hieron. in morali docet. Unde Machiavellistæ simulatores in summo gradu sunt, qui specie singularis sanctitatis hæresin suam pingunt, palliant, tegunt & ornant, & exinde hæreticos non sese nominant, sed Prophetas à Deo excitatos se esse omnes constanter affirmant & gloriantur, pro more Diaboli, qui optimam artem simulatoriam inducere, & sese in lucis angelum transformare potest 2. Cor. II. v. 14. hinc leniora sunt magis, quam butyrum verba oris ejus at in corde ejus prælium, leniora verba ejus plus quam oleum & ipsa sunt gladii Psal. 55. Ore suo benedicunt at corde suo maledicunt Psal. 62. Additur *cujusvis religionis* siquidem Machiavellismus non unius duntaxat religionis falsæ sed *omnium est simulatio*. Dicitur *nixa multi bypotbesibus falsis*. Hypothesin quippe non unam sed multas falsas ponit, modò *contra politiam* de quibus hac vice res non est, modò *contra Theologiam*; de quibus jam agemus & infra pluribus audiemus.

## THEOREMA VIII.

*Machiavellismus multis rationibus confutari potest.*

Prima & principali Machiavelli hypothesi, principem Deum & omnem religionem contemnere debere, suaderetur, sed facile refutari potest. Nam contrarium, quod nimirum Princeps non tantummodo veram religionem ipse amplecti, & ministros idoneos veræq; religioni addictos undiquaque ut vera religio pura ac sincera servetur & propagetur, instituere; sed & omnem Idololatriam abolere, omnesq; cujus etiam sint status aut ordinis homines falsæ religioni addictos removeere debeat. severissimè statuimus, multisq; modis probamus:

I. *Ab officio Principis* Princeps enim fit custos primæ & secundæ tabulæ, quarum prima Deum, altera proximum respicit.

Hinc

ter quæ illa quæ primæ sunt tabulæ summæ sibi sint curæ, ubi de primo & principali Ente, nempe DEO ejusque vero cultu agitur. Hinc Princeps nō tantum veram Religionē exemplo Josuæ Num. 27. & Jos. 3. & Samuelis 1. Sam. 12. amplecti, sed & ministros ac gubernatores pios ac probos secundum mandatum divinū Exod. 18. ut ita vera Religio retineatur, instituere debet. Econtra vero Idololatricos cultus aboleat, fideliter Asam 1. Reg. 15. & Josaphatū 2. Par. 17. v. 6. imitando; in errantes præsertim hæreticos, tum privatos, qui occultè virus suum animis hominum instillant, tum publicos, qui publicè oves Christi seducere non erubescunt, inquirat, eosq; coerceat; & ita omnis generis status observet; ne ministros Ecclesiæ flagitiosos, qui vel enormia delicta committunt, vel hæreticis opinionibus imbuti sunt, easdemq; pertinaciter propugnant, ferat, sed ab officio removeat; ne consiliarios falsæ religioni addictos, toleret, sed abire mandet; ne quemvis Laicum hæreticum repugnantem, erumpentem, blasphemantem, aliosq; seducendum patiatur, nisi forte quidam tranquillè vivat, alios non seducat, nec occultis machinationibus pacem Politicæ vel Ecclesiæ turbet, ibi talem, spe conversionis & publicæ tranquillitatis causâ, tolerare potest ac debet. Ad hæc accedit si status Republicæ non sit liber, sed turbatus, quando subditi in diversas abire partes, & æqualiter fermè sint divisi, ut una pars falsæ religioni adhæreat, nec exercitium publicum sine sanguinis effusione & præsentissimo totius regni exitio denegari queat, tum lege prudentiæ licet, ex duobus malis eligere minus, nempe ut toleretur religio peregrina, ne turbetur pax publica & pessundet vera Ecclesia, uri rectissime pluribus hæc docet Admod. Reverend. Clar. & Excell. Dn. D. Meisnerus part. Philos. sobr. 3. sect. 2. cap. 2. quæst. 5. pag. 890.

2. *A piorum Regum & Principum exemplis.* Josuah Num. 27. Jos. 14. Samuel. 1. Sam. 12. & Ezechias. 2. Reg. 18. veram religionem consequuti & amplexi sunt. David 2. Sam. 8. v. 14, 15. & Salomon 1. Reg. 2. v. 35, 36, c. 4. v. 23. & 11, 28. ministros Ecclesiæ idoneos & consiliarios & præfectos veræ Religionis addictos ordinavêre. Rex Assyriorum 2. Reg. 17, v. 26, 27. Darius, Dan. 6. v. 25, 26. & Nabucho

Nabuchodonosor. Dan. 3. v. 9. 98. Imperat ut vera religio p[er]p[er]ta  
servaretur & propagaretur, curaverunt. Aſa 1. Reg. 15. v. 12, 13 &  
Jehu 2. Reg. 10. v. 25, 26. ſæveriffimè Idololatriam aboleverunt.  
Horum exemplis S. ſcriptura ſcætet innumeris, quæ hic omnia  
ponere, eſt imbrem in cribrum gerere, ideo quæ ſat ſint, quæ, ſi o-  
mnia ponderentur ſufficiant.

3. *A veterum testimoniis.* Sic enim Augustinus lib. 3. contra Cre-  
ſcon. Gramm. cap. 51. *In hoc Reges, ſicut eis divinitus præcipitur, Deo ſer-  
viunt, in quantum Reges ſunt; ſine ſuo Regno bona jubeant, mala prohi-  
beant nec ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam quæ  
ad divinam religionem.* Et Epist. 50. ad Bonifacium inquit: *Aliter  
Rex Deo ſervit quia homo eſt, Aliter quia Rex eſt, quia homo eſt, & ſervit  
fideliter vivendo; quia verò etiam Rex eſt ſervit leges juſta præcipientes &  
contraria prohibentes, convenienti vigore ſanciendo, ſicut ſervivit E-  
zechias, lucos & templa Idolorum deſtruendo, ſicut ſervivit Rex Iofias  
et alia & ipſa faciendo, ſicut ſervivit Rex Ninivitarum univerſam civita-  
tem ad placandum Dominum compellendo, ſicut ſervivit Darius Idolum  
frangendum, in poteſtatem Danieli dando, ſicut ſervivit Nabuchodonosor,  
omnes in ſuo regno poſitos à blaſphemando Deo lege terribili prohibendo.*  
Item Juſtus Mœnius in tractatu German. Witteb. anno 1538. ex-  
cuſo. tit. *Wie ſich ein jeglicher Chriſt gegen allerley gute vnd böſe  
Lehr/gebührllich verhalten ſoll.* ita generaliter. inquit. *Ein jeder  
Chriſt iſt ſchuldig allen Gottes Worten zu glaubē/vnd ſeinen glauben  
an Gottes Wort auch mit den Mund zu bekennē/ Et paulo poſt: Ein  
jeder Chriſt iſt ſchuldig Gott recht zu ehren vnd gemeiner Chriſten-  
heit zu gute/rechten Chriſtlichen Glauben bey andern abzufordern/  
vnd dargegen Unglauben falſche Irrthumb vnd Zetterung ſampt bö-  
ſen ſchandbahren Lehren zu verhindern.* Et 2 alibi ſpecialiter de Ma-  
giſtratu ita habet: *Ein jegliche Chriſtliche Obrigkeit iſt zum erſten  
für ire perſon nach Gottes Wort recht zu glauben/ zubekennē/vnd zu  
leben ſchuldig / & paulo poſt inferius. Vnd wo die Obrigkeit durch  
Gottes gnaden Chriſten iſt vnd als ſie nach Gottes befehl von ampts  
wegen ſchuldig/das Evangelion zu predigen verordnet/da doch rech-  
ter Chriſtlicher Glaube bekändnüß vnd leben gelehret wird/vnd ſich  
etliche neben eindringen / oder mit vnterſchleiffen würden/welche  
ſolche Lehre / ſo im Evangelio Chriſti wolgegründet / vnd in aller  
Chriſten-*



bestendig geglaubt vnd bekandt worden/ öffentlichem widersprechen/  
vnd andere neue vngesunde falsche Irrthumb dagegen den Leuten  
einbilden wollen. Sie wil des Obrigkeit das ihre dabei zu thun/ vnd  
solchem vbel mit gebührlichen mittel zu begegnen vnd zu wehren  
ampts halben auch zustehen. Et alio loco. Dann kurtz vmb der zwey-  
er eins von nöten sein muß/entweder daß die Obrigkeit solchen Kot-  
ten wehren/vnd sie straffe/ vnd Göttliche vnd Christliche Constitu-  
tion vnd ordnung gegen sie erhalte /schütze vnd handhabe/oder aber/  
daß sie der Kottengeister schwermeren für eine Göttliche rechte sache  
vnd darin wissentlich halte vnd willige. Es were denn das der drit-  
te/nemlich/ das eine Obrigkeit von etnem so viel hielt als vom an-  
dern/das ist/das sie ganz vnd gar Gottloß wehren/ weder Himmel  
noch Helle/ weder ewigen Todt noch Leben/ vnd in summa/weder  
Herrn Gott noch Teuffel glaubete/ vnd dachte es gehe auff Erden  
wie es wolle/ da ligt mir nichts dran/ wenn ich nur allein Fürst vnd  
Herr im Lande bleibe/ vnd ein vnterthänig Volck behalte/ Hæc ibi.

4. *A communi omnium membrorum in Ecclesia officio*, si accide-  
ret ut talis Princeps inveniretur, qui custodem secundæ tabulæ  
tantum se diceret, is nihilominus sciat, religionem veram am-  
plecti, & Idololatriam abolere etiam ipsius esse officium; ut est  
membrum Ecclesiæ. Nam omnibus Ecclesiæ membris universa-  
liter hocce præcepit Deus. Omnes jubet cavere à Pseudopro-  
phetis Matth 7. omnibus mandat ut auferant malum 1. Cor. 5.  
omnes alloquitur Paulus Gal. 1, 8. Si quis aliud Evangelium do-  
cuerit, anathema sit. Et quidem hæc omnia inprimis Principi,  
tanquam membro Ecclesiæ potiori, & principaliori per accõmo-  
data sunt, ne operam suam accusari sinat sed viribus opibusq; o-  
mnibus elaboret, ut tanquam membrum Ecclesiæ potius, memoret  
sui officij, & veram Religionem servari ac propagari, Idol-  
olatriam vero aboleri, nitatur, curet.

5. *A mandato divino.* Deus namque veram Religionem ha-  
bere, in corde favere, servare, amare, propagare & defendere Prin-  
cipibus expressissimis verbis mandat, Deut. 17. v. 18. legimus:  
Postquam sederit Rex in solio Regni sui, describet sibi deuterono-  
mium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à sacerdo-  
tibus

tibus Leviticæ tribus, & habebit secum, legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum & custodire verba & ceremonias quæ in lege præcepta sunt. Psal. 2. ver. 10. ita Reges incitat: Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, servite Domino in timore & exultate ei cum tremore, osculamini filium &c. Aperite portas Principes vestras, inquit David Psal. 24. v. 7, 9. & elevamini portæ mundi, ut introeat Rex gloriæ, ubi Reges & Imperia, quæ sic usitata Metaphorâ vocantur, ad veram religionem admonentur. Hoc itaque Princeps observet, & sit memor, Psal. 101. 23 In conveniendo populos in unum & Reges, ut serviant Domino.

6. *A Fidelium pro Principibus ac Regibus precatio*, 1. Tim. 2. v. 1. Deus mandat ut precemur, pro Regibus & conservari eos oremus, nã illi existunt propter Ecclesias cõservandas; ideoq; etiam pii ad Deum preces fundunt, ut cõservet Reges ac Principes, quò conserventur & defendantur Ecclesiæ, & illorum officium ad gloriam Christi conferatur, & ita subditi quietam & tranquillam vitam in omni pietate & honestate agant. Jam verò si princeps ipse, verâ religione non sit imbutus, nec illam teneat, colat ac defendat, sed potius simulet, vel omnino Idololatricos cultus admittat; quomodo pro tali pii ex animo orare possunt? & ita ejusmodi Principes piorum precatio non fruuntur; nec ulla potest fieri pro illis vera precatio, nisi fortè contra seipsos orare velint: Domine Deus conserva hoc regnum, ut nomen tuum contumeliâ afficiatur, agnitio Christi extinguatur, & pii trucidentur. Quod planè diabolicum quid esset.

7. *A confessionis necessitate*. Præterea officium Principis esse veram observare religionem & in Idololatriam abolere constat ex ipsius confessione; quæ ipsi præcipitur; nam Princeps externam, veræ religionis professionem adhibere debet. Esa. 44. & 45. Ore suo Dominum Jesum confiteri, Rom. 10. v. 9. ipsumq; esse Dominum 2. Cor. 4. v. 5. & filium Dei Act. 8. v. 38. illumque in carne venisse Johan. 4. & 5. quodq; mortuus fuerit pro peccatis nostris 1. Cor. 15. v. 3. & quod illum Deus excitaverit à mortuis certo credere debet Rom. 10. v. 3. siquidem corde creditur ad justitiam, ore vero fit confessio ad salutem; & quia Princeps veram  
ram

Jam ostendere quod non consentiamus Idololatriæ, sed potius ipsi adversemur, ideoq; etiam Principis erit veram religionem habere, Idololatriam vero tollere nec ullum timere, sed potius cogitare, quod Deo magis sit obediendum quam hominibus Actor. 5. v. 29. & ita nullo modo simulare, qui enim negat Christum coram hominibus, illum iterum negabit coram patre cœlesti. Et qui illum confitetur coram hominibus, illum quoque confitebitur coram patre suo, qui in cœlis est, Matth. 8. v. 38. Luc. 12. v. 8, 9.

8. *A vitandâ persecutionis societate.* Non enim Rex sive Princeps veram religionem negligens subditos impietate persequitur, sed potius pios persequitur. Hoc igitur cum cavere debet, non licet ipsi alterâ manu ferre lapidem, alterâ panem ostentare, alias Elias loquitur usq; quo claudicatis utroq; humero? Itaque necesse est, ut aut cum persecutoribus aut cum verâ Ecclesiâ conjunctus sit; & si nolit se polluere societate persecutionis, aperte veræ religionis confessionem habeat, & Idololatriæ resistat, nec cū hæreticis rē habeat; Hujus animi Regius ille Psalter David fuit, uti videre licet Psal. 36. odi Ecclesiam malignantiū, & cum impiis non sedebo, lavabo manus meas inter innocentes & circumdabo altare tuum Domine. Et quidem inquit Psal. 138. v. 22. perfecto odio oderam illos. Nam qui impio præbet auxilium, iram meretur cum Josaphato 2. Par. 19. quam ut effugiat Princeps, caveat sibi à societate persecutionis, è contra vero veram veræ religionis doctrinam habeat, confiteatur ac defendat.

9. *A jure naturali.* Finis principalis societatis humanæ est, ut Deus innotescat. Jam vero Magistratus, est custos societatis humanæ, multo magis igitur custos erit istius finis principalis. Quippe in omni actione proprius & principalis finis principaliter expetendus & tuendus est. Exemplum potest sumi à Medico, huic in medendo sanitas præcipuè expetenda venit. Et hoc est quod dicit Deus Psal. 81. v. 6. Ego dixi Dii estis, hoc est, divinitus delecti ad conservandam veram religionem, ad prohibendam & abolendam Idololatriam, ad conservationem ju-

C

stitiæ,

itaq; sunt ejusmodi Principes imitandi, qui gubernationem hanc à fine, divellunt, & se tantum pacis secundæ tabulæ custodes esse existimant, ubi tamen Deus expressè Principem facit custodem legis & doctrinæ Religionis Deut. 17. v. 18. & seq.

10. *A periculosissimis ad Principes simulantes & Idololatricos comminationibus.* Ezech. 32. inquit Deus Ecce ego ipse super Pastores & requiram gregem meum de manu eorum & delebo eos; & Amos 6. Væ vobis optimates capita populorum; hoc vult dicere: Vos Reges ac Principes &c. audite, æternum & inenarrabile Væ vos superveniet, nisi veram religionem habueritis & Idololatriam aboleveritis, ubi in illâ Idololatriâ detendendâ multa millia animarum seducitis, & cum illis vos in æternam gehennam præcipitatis.

11. *A pænâ principum impiorum consequente.* Principes quippe, si religionem veram relinquunt, & falsæ adhærent, pœnas capiunt, tum corporales ut Jeroboam 1. Reg. 13. vers. 4., Ahasia 2. Paral. 22. v. 9. & Nadab 1. Reg. 15. vers. 28. tum Spirituales ut Saul 1. Sam. 16. v. 14.

Ex his nunc facile Machiavellus refutari potest, sic enim argumentamur; Si officium Principis, piorum principum exempla, veterum testimonia, commune omnium membrorum Ecclesiæ officium, mandatum divinum, fidelium preces, confessioni necessitas & jus naturale &c. requirunt, ut Princeps Deum & veram religionem amplecti colere & defendere, è contrâ vero Idololatriam abolere debeat, id Princeps etiam observare debet; sed hoc officium principis, veterum testimonia, mandatum divinum, fidelium preces, jus naturale, &c. requirunt. Ergo Princeps id observare debet. *Major* est verissima nec ullo modo negari quit. *Minor* constat ex antea dictis. Si ergo hoc verum, quod aliter etiam non est nec esse potest, quomodo consistit Machiavellus, qui Deum & omnem Religionem Principem contemnere docet? Sed quomodo peccet, non tantummodo contra Deum, contra veteres, sed contra ipsam rationem, nemo est, qui non videat antecedentia considerando, sed manum de tabulâ. *Plura qui desiderat, conf. tractat. de officio Princip. Phi-*

Ut vero eo melius suam Religionem conservet. modum quendam addit quomodo Princeps salvâ conscientia simulare possit, nempe si tantum externâ specie sit religiosus, de quibus vero pluribus Theorem. proximo audiemus.

Deinde Machiavellus à Diabolo agitatus, omnino Christianismum pro nihilo ducit, & è contrâ Ethnicismum plurimi facit. Sed ne hîc diu moremur, facilimè refutari potest. Sic enim argumentamur: Ubi cunque verus Deus, uti sese in sacro sancto suo codice manifestavit, non adoratur & colitur, ibi non est vera Religio; In Ethnicismo verus Deus uti sese manifestavit, non adoratur & colitur. Ergo ibi non est vera Religio. *Major stabilissima*, quia sola sacra scriptura est norma secundum quâ dirigere nos debemus, illa monstrat quid de Deo statuendum, quid credendum, &c. *Minor manifesta* est, illi enim innumera biles ferè Deos habuerunt, ut Iovem, Ammonem, Apollinem, Delphicum &c. quod ipse etiam Machiavellus concedit comm. lib. 1. cap. 12. Ex his igitur ulterius poterit colligi. Quæcunque Religio non est Vera, illa nec laudanda nec capeffenda, Ethnicismus est talis religio. Ergo nec laudanda nec capeffenda. *Major verissima, Minor ex antecedente Syllogismo probatur.*

Quod vero Christianismus è contrario sit recipiendus è contra probatur hoc modo: Ubi cunque verus Deus, uti sese in S. S. manifestavit adoratur & colitur, ibi est vera Religio & capeffenda, in Christianismo hoc fit, Ergo in Christianismo est vera Religio & ideo capeffenda. Major patet. Minor probatur in antecedentibus hujus collegii disputationibus de Christianismo de Religione Lutherana &c.

Rationes quas Machiavellus, pro rejiciendo Christianismo &c. tuendo Ethnicismo apponit, nullius sunt momenti, nihilominus tamen, illas sequenti theoremate brevibus audiemus, Sit Ergo.

*Infirma sunt Machiavellistarum argumenta.*

Supra præcedente theoremate percepimus Machiavellismo doceri, Principem Religionem contemnere, & Idololatriam admittere posse, tantum si simulet & externâ specie sit religiosus. Jam vero Machiavelli rationem paucis audiemus. *Homines, inquit, ferè externâ tantum specie ducuntur & omnia facta non ex causâ sed eventu æstimant. Itaq; principem satis est externâ specie religiosum videri etiamsi ex animo non sit.* Hæc ille. Ratio igitur est, quare Princeps Religionem negligere, Idololatriam admittere, & fallaci specie pietatis existimationem sibi apud homines quærere possit; quia *homines externâ specie ducuntur.* Sed quid hoc? anne tantum homines sunt respiciendi, si maximè illis videretur Principem esse religiosum, quod tamen non semper fit, ideoq; etiam addit Machiavellus voculam F E R E, ergo Deo hoc sufficeret, cui hoc summæ curæ est, & quem cultus verè divinus maximè tangit & respicit. Videmus igitur rationem Machiavelli nullam esse: talis enim exinde formaretur Syllogismus: Quoniam homines externâ tantum specie ducuntur & secundum hanc Principem religiosum censent, ideoq; non necesse est Principem curare religionem: Ratio connexionis est quia sufficit Principem externâ (NB. non internâ) specie religiosum videri: Ast homines secundum externam speciem ducuntur. Ergo Principem curare religionem non necesse est. Negamus consequentiam, quia *major est falsissima.* Non enim ab hominibus ad Deum licet argumentari. Siquidem homo videt ea quæ patent, Deus autem solus qui hominum corda noscitur. Reg. 8. Sap. 1. intuetur cor, ut rectè Deus ipse loquitur 1. Sam. 16. v. 7. ideoq; ne accesseris ad Deum duplici corde ne fueris hypocrita in conspectu hominum, omnes adhortatur Syracides c. 1. v. 35. Hæc itaque breviter ad illam Machiavelli rationem, ubi statuit Principem salvâ conscientiam in Religione simulare posse. Sed recentiores Machiavellismi propugnatores, qui Machiavellismi explicatores & auctores gloriantur, cum audiunt nos, Principem non modo non admittere sed & falsam religionem omnino abo-

mentis. Sic colligunt: Quodcunq; non est officium Principis, illo non debet uti. At Ecclesiam regere & conservare non est officium Principis, Ergo illo officio non debet uti. Verum negamus minorem, quippe Principis officium omnino est ut curam de Ecclesiâ habeat summam, interim tamen quoad externam disciplinam 2. argumentantur: Quodcunq; non est in Synodo dijudicatum illud non impugnandum. Machiavellistarum religio non est in Synodo dijudicata. E. non est impugnanda. Negamus majorem, quia controversiæ de verbo Dei dissimiles sunt controversiis, de negotiis humanis in quibus valet auctoritas humana, summus enim iudex omnium est, Vox divina. Singuli etiam refragante toto terrarum orbe, obtemperare debemus verbo Dei, quod fatentur esse à Deo traditum; ut Elias querebatur se solum esse relictum; dissentiebant ab ipso Reges, execrabantur eum Pontifices, & Sacerdotes, deserebat eum populus. Etsi igitur videbat se neq; ὁμολογησῶν neq; ὁμολογῶνδον habere quenquam, tamen sententiam suam abiciebat. Ita Petrus fatetur in populo diversas esse opiniones de Christo, haberi eum pro Prophetâ, pro Eliâ & ab his sejungit suam sententiam & affirmat hunc Iesum esse filium Dei ac salvatorem: quare Christus inquit, caro & sanguis non revelavit tibi sed pater meus cœlestis. Hic jam quæro an expectandum fuerit Petro iudicium Pontificum Principum; populi? Sed hæc etiam breviter de istis argumentis. Porro Machiavellus pro severissimo Christianismi contemptu tuendo suas etiam habet rationes, ast quoniam his brevitati studere consultum est, ideo breviter principales recitabimus, quæ lib. suo 2. comment. cap. 2. comprehenduntur hic verbis; Religio (inquit Machiavellus) Ethnica nemini felicitatem pollicetur, nisi iis, qui strenue pro Principe, patriâ, republ. ad extremum certantes egregia sibi decora & gloriam immortalem inter mortales quarant. Christiana ex adverso demissos, contemplationi deditos & honorum huius mundi negligentes ad beatitudinem vocat. Itaq; eo imbecillitatis & ignavia nostros homines perduxit ut Christianum nomen barbaris & impiis præda sit. Atq; illi jam impunè Christianos versare, vincere, sub jugum mittere, copia est; cum eos ut cœlestis vitæ compotes fi-

dam paratos intelligant. Neq; ulla res Christianorum animos effœmi-  
nat quàm quod quietum otium & vitam quandam philosophicam virtutē  
vivide & actuose anteponunt. Hæc ille. Ex quibus verbis quatuor  
rationes eruuntur, cum quibus, Ethnicismum Christianismo  
præferendum esse probatur, 1. quia in Christianismo nullis promitti-  
tur felicitas, nisi 1. demissis 2. contemplationi deditis & ita otiosis, 3. ho-  
nores negligentibus 4. hominibus potius ad injuriam ferendam quam ad  
propulsandam inclinantibus. Hinc talis fit Syllogismus: Quæcunq;  
religio felicitatem promittit, 1. demissis, 2. contemplationi de-  
ditis & otiosis, 3. honores negligentibus, 4. hominibus ad inju-  
riam potius ferendam quam propulsandam inclinantibus; illa  
nō est veranec capeffenda. At Christiana Religio est talis. E. Pri-  
mo major negatur nam multi sunt demissi ut pueri & etiã multi  
viri; multi contemplationi dediti, ut Doctores, & otiosi ut cœci  
& claudi, multi ad injuriam ferendam potius quã ad propulsan-  
dam proclivi, ut Christiani & Christus ipse, Ergo non possunt  
esse veræ religioni dediti? Deinde *minorem negamus*, quod Christi-  
ana religio faciat homines demissos, nã contrariũ videri potest  
in lib. histor. Quid enim *Constantinus Magnus, Valentinianus, & B.*  
*Mauritius Dux olim Saxon,* fecerint jam tacebo. 2. Quod dicit  
Christianismũ facere homines otiosos iterum falsum est, nã ibi  
perhibetur omnino labor uti videre licet Gen. 3.17. Ex. 20. 9. cap.  
37. 21. Deut. 5. 13. Job. 2. 19. Psal. 128. 2. Ephes. 4. 28. Licet vero sint  
inter Christianos studiis literarum dediti homines, (quos Ma-  
chiavellus vult esse otiosos, quod tamen contra ipsum est, nam  
in Ethnica religione tales etiam inveniuntur) ut cœteros docere  
queant, illi tamen minimè otiosam vitam ducunt, sed graviter  
laborant, quod probatur 1. Theff. 2. 9. Hinc dictum qui non labo-  
rat non manducet 2. Theff. 3. v. 10. Quod vero 3. dicitur nos ho-  
norum contemptum discere in Christianismo, ibi impudenter  
mentitur. Legat enim si velit Ethicam ubi omnino maxi-  
mi facimus doctrinam de honore, quem alterum ibi felicitatis  
adjunctum asserimus. 4. Quod apponitur Christianos po-  
tius ad injuriam ferendam quam ad propulsandam inclinos  
esse, non quidem negamus Christianis omnibus interdiciam  
esse



stratus ope, ad injurias propulsandas uti, vetitum non est, ubi illa injuria ulciscitur. Qui vero privatâ authoritate injurias suas ulciscuntur, illi *αὐτὰ ἑἰα* inducunt in Rempubl. & Magistratui jus suum eripere student, quem tamen Deus publicæ honestatis ac innocentiae probatorem, vindicemq; statuit, eumq; gladio armavit, ut innocentes tueatur, & impiorum audaciam compescat. Et hæc ita sunt, quæ ad illa argumenta paucis respondere volumus. Nunc vero Machiavellum relinquemus & paucis Samaritanismi considerationem assumemus.

## THEOREMA X.

*Samaritanismus à postremis Samaria incolis nomen habet.*

Rex Amri qui anno 31. Asa regis Iuda regnavit super Israel 12. annis, & in Therfa 6. annis, emit montem Samariæ a Somer duobus talentis argenti, & ædificavit eum & vocavit nomen civitatis, quam extruxerat nomine Semer Domini montis Samariæ 1. Reg. 16. In hac civitate 14. Reges Israelis castra sua aulica habuere; Amri, Ahab, Ahafia, Ioram, Ioachas, Ioas, Ierobeam, Zacharias, Sallum, Menacham, Pikahin, Peka & Hofea. Quoniam vero Reges & populi idolis servirent, Deus ita omnes punivit tum Reges, quorum tamen 5. morte naturali discesserunt, reliqui omnes vel bello occisi, vel miserrime seipfos interfecerunt, tum populos, quos Dominus projecit & eos afflixit, tradiditq; in manu diripientium. Nam Rex Salmanasser ascendit Samariam anno Mund. 3226. ante nat. 738. & obsedit eam tribus annis, & tunc anno M. 3230. ante nat. Christ. 741. anno Oseæ nono illam cepit, & transtulit Israel in Assyrios, posuitq; eos in Hala & in Habor juxta fluvium Gozan in Civitatibus Medorum, & adduxit de Babylone & de Cutha, & de Avah, & de Ematz & de Sepharphaim & collocavit eos in civitatem Samariæ pro filiis Israel, qui possederunt Samariam & habitaverunt in urbibus ejus. Cum verò ibi habitare cœpissent & non timebant Deum, immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant

eos

unus de Sacerdotibus, quos inde captivos adduxerant, duceretur, qui vaderet & habitaret cum illis, doceretq; eos legitima Dei terræ. Cum verò is venisset, habitavit in Bethel docuit eos quomodo colerent Dominum. Verum una quæq; gens tum Deum suum fabricata est, tum Deum etiam suo modo colebant, ut ita hi posteriores Samaritani mixtam quandam religionem haberent, & modo Deum colerent, modo Idolis suis servirent; A quibus igitur posterioribus Samaritanis Samaritanismi nomen ortum est.

## THEOREMA XI.

*Samaritanismus est religio mixta ex Ethnicismo & Judaismo.*

*Iudæi in Veteri Testamento erant homines religiosi & cultui divino dediti, nam severè verum Deum absq; Idolis colebant timebant. Unde Varro apud Augustin. de Civitate libro 4. recte dicit, gentem Iudæorum Deum sine simulachro aliquo coluisse, hoc est, Iudæos non habuisse simulachrum aliquod in templo ad cultum propositum. Imo, Iudæi ita olim fugere statuas ut morti se exponere maluerint quam illas adorare. Hinc enim Josephus lib. Antiq. 18. c. 11. scribit, cum Cæsar statuam suam vellet per Petronium Ierosolymis in templo Dei collocare, ut tanquam Deus coleretur, Iudæos maluisse se morti exponere, quam id quod lege Dei prohibitum erat, admittere & recipere cultum scilicet statuarum. Ideoque olim Judaismus fuit cultus Dei perfectus, quo verus Deus agnoscebatur & colebatur. Ethnici eodem modo olim multi absq; simulachris Deum colebant. Persas enim nec statuas nec aras Diis suis erexisse scribunt Herodotus & Strabo. Posterioribus vero temporibus totam religionem & cultum Deorum gentes ad simulachra & statuas alligarunt, varia n. & multa fingebant Deorum genera inter quos unum statuebant magnum & primum Deum qui det omnia, alios appellabant parvos Deos à magno illo ortos, qui aliqua dent, & inter illos parvos alios selectos appellabant, à quibus opera majora in mundo administrantur, alios plebeios seu minorum gentium Deos utpote mi-*

*malos Deos* ut id videre licet apud Clariss. Dn. Chemn. in exam. Trident. part. 4. de imaginib. 6. p. 675 singulos hisce Deorum generibus dedicarunt peculiaria templa delubra, sacella, fana. Et in his singulos deorum peculiaribus representarunt statuis, simulachris seu imaginibus ligneis, lapideis, marmoreis, aureis, argenteis, pictis, frictis, fictis sculptis fufis. Rudiores vero primū sicut scribit Clemens in oratione ad gentes erigebant ligna in signia, lapides i. sculptos, sed columnas ex lapidibus. Alii gladium alii hastam adorabant, & sic consequenter, Et ita Ethnicismus Idolorum cultus erat certissimus. Ex hisce igitur duabus Religionibus Judaismo nempe & Ethnicismo tandē una eadēq; facta fuit Religio quæ deinde Samaritanismus vocata fuit, uti hoc videre est, 2. Reg. 17. v. 29. ubi modo Deum verum adoraverint, modo Idola sua habuerint & coluerunt. Ita etiam nunc audivimus paucis, qualis, Samaritanismus religio fuerit.

## THEOREMA XII. ET ULTIMUM.

*Cultura Dei & Idolorum simul nullo modo palliari potest.*

Theorematis veritas constat, quia verus Deus tantum est verè colendus Exod. 23. v. 25. & quidem toto pectore totā animā Deut. 10. v. 12. Jos. 22. v. 5. ideoq; non alius colendus Exod. 34. v. 14. nec agnoscendus Hof. 13. vers. 4. quia Deus ille unus est Deut. 4, 6, & 7. cap. Deut. 32. 1. Sam. 2. Es. 44. & 45. Es. 46. Joel. 1. Hiob 33. Matth. 19. Marc. 12. Rom. 3. & 10. 1. Cor. 8. Gal. 3. Jacob. 2. Hinc prohibetur Idola facere Deut. 4. v. 23. Deut. 5. v. 6. Exod. 19. v. 5. Lev. 19. v. 4 & cap. 26. v. 1. & illa colere Exod. 19. v. 5. nam Idololatria est opus carnis Gal. 5. v. 20. idololatria coram Deo est stultitia Jer. 10. v. 8. abominatio Deut. 7. v. 26. odiū Eccles. 15. v. 13. Idololatria est resistentia Dei 1. Sam. 15. v. 23. Idololatria Deum ad iram commovet Deut. 37. vers. 21. Idololatria preces nostras impedit, & ut non operentur efficit. Ezech. 8. v. 18.

D

Ezech.

Idololatria vae capit. Habac. 2. v. 18. Idololatria punitur carcere  
Baruch 6. v. 1. peste fame & gladio Ezech. 5. v. 12. tremore Exod. 23.  
v. 27. lapidatione Deut. 13. v. 9. abustione Deut. 7. v. 25. Deut. 7. v. 5.  
Deut. 12. v. 23. Idololatria maledicitur Deut. 11. v. 28 Exod. 22. v.  
20. Idololatria homines maculat Ephes. 22 v. 4. & Idololatrici  
nec habent nec cupiunt ullam Dei misericordiam & gratiam Jer.  
16 v. 13. nec tadem vitam aeternam 1. Cor. 6. v. 9. Ephes. 5. v. 5. Hinc  
Idolorum factores vani sunt Esa. 47. v. 9. & maledictis Deut. 27.  
v. 17. Merito igitur Idola fugienda 1. Cor. 10. v. 14. & non quaerenda  
Amos 5. v. 5. nec illis serviendum Deut. 12. v. 30. Ezech. 3. v. 6.  
sed potius ab ipsorum cultu cavendum Deut. 11. v. 16. Ezech. 10. v. 3.  
Haec itaque paucis quoque de hoc Theoremate ultimo ex quibus  
satis apparet nullum esse regulum illorum, qui & Deum & Ido-  
la colunt; fugite itaque Idola & solum verum Deum colite  
Jof. 24. v. 23. Cui vero Deo Soli Laus & honor in  
secula seculorum Amen.

**F I N I S.**



Præstantissimo ac Doctissimo  
mo Dn. Respondenti M. PAULO  
GILBERTO amico suo singulari.

UT radiis Phœbi Phœnix remeabilis ales  
Combustus degit secula post cineres;  
Sic qui Gorgoneis undis sua labra rigavit,  
Post obitum illius gloria fama manent.  
Talia percipiens placuit, Gilberte Magister,  
Musarum studiis invigilasse tibi.  
Hinc satis edoctus nunc prisca reperta sophorum  
Exerces sacris in studiis animum.  
Id quod commonstrat cunctis hæc publica charta  
Quæ profert mentis symbola certa tuæ.  
Neû deflecte viam, sed doctum scripta sequere  
Atque sacros libros volve revolve manu.  
Inde parabis opes, tandemq; sequentur honores  
Et tibi post funus fama perennis erit.

*adproperabat*

Engelhardus Werth  
Obisfeld; Saxo.

Prätorianische Decreten

von Dr. Respondenti M. F. u. o.

Id quod con... concis... publica charta...  
Non debet... sed doctrina... sed quare...  
indignis... nos... horrores...  
si... post... tam... erit...

abproperebat

Engelhardus  
Opisch; saxo



05 A 721

ULB Halle  
003 767 159

3




VBM 7  
007









*IN*  
SYSTEMATIS THEOLOGICI PARTEM  
Primam Generalem,  
DE RELIGIONIS VERÆ OPPOSITIS  
*DISPUTATIO VI.*

*De*  
PUCCIANISMO,  
MACHIAVELLISMO &  
SAMARITANISMO,

*Quam*

Auspice & astite J E H O V A H

PRÆSIDE

BALTHASARE MEISNERO  
S. S. Th. D. & Profefs. publ.

*Placidâ συζητήσει ventilandam  
proponit*

M. PAULUS GILBERTUS,  
Alumn. Elect.

*Ad diem 5. Octob. horis pomeridianis,*

In Auditorio minori.

WITTEBERGÆ,  
*Excusa Typis* JOHANNIS GORMANNI,  
ANNO M DC XXV.